Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 627
Quelle:
Copyright:

tium: *Frequenter diximus. Semper enim Christiani persecutionem patiuntur* &c. Quantis Codex hic *Hieronymum* onerat! Adi potius *Augustini* T. VI. *Adpend. col.* 368. Ibi inter *Sermones* spurios *ad FF. in Eremo* deprehendes.

IX. *fol.* 86. *Hugo de sancto Victore. De virtute orationis.* T. II. *Opp.* illius p. 238. edit. *Rotomag.* extat pius hic Tractatus inscriptus *de Modo Orandi*, et incipiens: *Domino et patri T. H. munusculum hoc dilectionis meę ea vos precor benignitate suscipite* &c.

X. *fol.* 91. *Incipit Sermo Sancti Athanasii In Obseruatione Monachorum.* In edit. *Mauriana Opp.* T. II. *Paris.* 1698. p. 709. f. abjudicatur merito ab *Athanasio* haec *Exhortatio*, quae nunquam graece visa fuerit, et autorem latinum aperte prodat. Ejus initium: *Etsi quidem* (ut?) *in Christo gloriari licet, hujusmodi principiis sitis initiati* &c. Deest in edit. *sitis*; ceterum emendatiora sunt Codice.

XI. *fol.* 94. *Hec sunt XV. signa XII. dierum ante diem iudicii que inuenit beatus iheronimus in annalibus libris iudeorum.* Nugae, et maxime absurda postrema: *Eadem nocte qua pater et mater eius* (Antichristi) *conuixerint, uenit spiritus diaboli in uterum matris eius, non tamen ita uirginaliter sicut in Mariam spiritus sanctus uenit, et ita nascetur antichristus.*

Subtexta est Codici Membrana Fragmentum Statutorum *Cisterciensium* ab elegante manu, in quo de *Anniversario domini pape bonorij, Richardi anglie, Philippi et Ludewici francie regis*, item de *negotio albiensium* &c. Memoratur etiam Annus MCCXXXV. Nec dubium, Statuta ista olim e *Galliis* ad *Montem Pomarium* delata fuisse.

CCCX.

Codex membraneus lat. Sec. VII. aut VIII. Folior. partim 4. partim f. 159. charactere currente saxonico, non unius manus, nec unius temporis, lectu tamen sat difficili exaratus, rubricis distinctus, multis locis aevo adtritus, quondam, ut p. 1. adnotatur, Coenobii *sancti Columbani de Bobio*, quem locum *Agilulfus Langobardorum* rex non procul *Ticino* ad *Apenninum* sancto Viro a. 612. dederat, dein Conventus S. *Joh. de Carbonaria* O. Erem. S. Aug. *Neapoli*, ubi illum, teste *Museo Ital.* P. I. p. 110. *Joh. Mabillonius* 1685. obiter inspexerat, demum a. 1717. Imp. *Carolo* VI. oblatus Miscella complectitur, quae ordine suo edisserenda sunt. R. 85

I. *Incipit series uirorum illustrium sancti hieronymi presb.* In Prologo ad *Dextrum* non cum *Vallarsio provocas*, sed cum *Fabricio* in *Bibl. Eccl.* Noster legit *vis provocare*, quod et Graecus habet προκαλεῖσθαι βούλει. Nomina Scriptorum rite decurrunt, utrobique tamen *Justinus* et *Julianus* Nostro *Justus* et *Julius* sunt. Inter *Hieronymi* Scripta omittitur *L. in Aggaeum*, et subditur: *Finit amen deo gratias. Hucusque beatus hieronym-*